DECRETA SYNODI DIOECESANAE FLORENTINAE. HABITAE IN METROPOLITANA...

Diocesi di Firenze

Digitized by Google

DECRETA SYNODI DIOECESANAE FLORENTINAE.

HABITAE IN METROPOLITANA Ecclesia VI. Kal. Iunij. MDCX.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

FLORENTIAE,

Apud Michaelemangelum Sermartellium.

MDCX.

CVM PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDER
MARTIVS
MEDICES,

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS
Gratia Archiepiscopus Florent.

Venerabilibus, & Charissimis fratribus nostris, Canonicis, & Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ nostrę S.

NOSTRI *muneris ratio exposcit, vt nihil omnino prætermittamus, quod ad spiritalem animarum nobis commissarum profectum pertinere cognoscamus; atque vtinam aliqua ex parte præstare possimus, quod pastorale debitum postulat. Admonent nos nostri officij Sacri Canones, Pontificum decreta, Conciliorum statuta, & quod æquè vrget, admonemur perpetuò à nobismetipsis. Vt igitur aliqua ex parte satisfiat, iuxta Tridentini Concilii decretum Synodum diœcesanam nuper habuimus, atque ea approbante nonnulla decreuimus, quæ ad antiquarum Synodorum obseruantiam, corruptelasque eradicandas, quæ quotidie irrepunt &*

segetem domini contristant idonea existimauimus. Nec enim desistit inimicus homo superseminare malum semen, ut bonum etiam corrumpat, requiritque paterfamilias ille cœlestis in hoc potissimum assiduam à nobis & perpetuam vigilantiam exigitq; ut euellamus, & plantemus. Quod ut rectè præstare possimus, ab eodem omnium bonorum authore enixe flagitamus. Petimus autem à vobis fratres, quos in excolẽda Domini vinea præcipuos coadiutores & cooperarios habemus, ut id ipsum precibus nobis à Deo impetretis, & nobiscum etiam aduigiletis, ipsique in primis huiusmodi sanctiones seruetis, aliosq; subinde seruare faciatis; ne'vè conatus nostros, vigiliasq; irritas & inanes esse, quantũ in vobis est patiamini ubere à Deo mercedem percepturi.

Digitized by Google

DECRETA SYNODI DIOECESIS FLORENTINAE.

HABITAE IN METROPOLITANA Ecclesia VI. Kal. Iunij; MDCX.

DE RESIDENTIA, ET CVRA ANIMARVM.

NIHIL est, quod nedum à Sacris Canonibus, Generalibus Conciliis, Pontificumq; decretis, sed à Christo Domino frequentius, & instantius commendetur, quàm perpetua cura, & vigilantia Prælatorum, pastorumq; quibus Dominici gregis custodia commissa est. In hoc enim propemodum tota populi salus innititur, nec aliud est quod populos ad abstinentiam peccatorum, ad sacramẽtorum frequentiam, cęterorumque bonorum operum exhibitionem vehemẽtius stimulet, quàm præsentia Sacerdotum; ex quorum moribus doctrina sana, & inreprehensibilis, ex operibus exempla bona ad salutarem populi refectionem prodire debent: Nec enim populus, vt plurimum rudis, & simplex verbum Dei cognoscere valet sine prædicante. Hi itaq; sunt qui non solum de propriis, sed de subditorum peccatis rationem sunt reddituri; ex quorum manibus

Digitized by Google

distrićto iudicio ouium suarum sanguinem Dominus est requisiturus, qui, si lupus rapiat, & ipsi nesciant, non excusantur; & quoniam nonnulli ouiũ pariter, suæq; salutis immemores, variis prętextibus in beneficiis residere, ibiq; pastoralia munera exercere subterfugiunt Sacrosancti Tridentini Concilij, ac alijs constitutionibus sinodalibus inhærentes, illisq; addentes hæc statuimus.

Omnes & singuli Plebani, Priores, Vicarij, cæteriq; Parochialium Ecclesiarum rectores, quocunq; nomine nuncupentur; tam seculares, quam regulares, quibus animarum cura imminet, qui ex aliqua causa prætendunt se licitè ab eorum residentiis abesse posse, teneantur infrà terminum trium mensium præsentasse se coram Illustrissimo D. Archiepiscopo, vel eius Vicario ad deducendum, & iustificandum in actis quicquid prætendunt; quod si iusta, canonicaq; erit absentiæ causa ordinarius decretũ interponat, liceatq; rectori durante prædicta causa non residere, dummodo per Vicarium, congrua fructuum portione assignata, si fieri poterit, sin minus alia ratione per Ordinarium in eodem decreto approbanda, & decernenda animarum curæ prouideatur. Qui verò infra prædictum tempus non se præsentauerint, & eorum causæ tamquam friuolæ, aut minus probatę per Ordinarium reiicientur, nisi infra tres dies ad eorum residentias se contulerint, ipso facto suspensionem à diuinis extra propriam Ecclesiam incurrant, cæterisq; iuris remediis ad residendum qualibet appellatione postposita compellantur.

Non liceat Plebanis, cæterisq; Parochialium Eccle-

siarum

Digitized by Google

ſiarum Rectoribus, extra eorum Parochias duobus continuis diebus permanere abſq; licentia, Plebanis à viciniori Plebano, vel teſte ſinodali, quo verò ad alios inferiores, ab ipſis Plebanis, ſi adfuerint, ſin minus à viciniori rectore in ſcriptis obtinenda, quę terminum tamen ſex dierum non excedat à die conceſſionis, & non à die abſentiæ incipiendorum; quæ licentiæ non poſſint concedi, niſi ſex vicibus quolibet anno, caueantq; in primis, ne huiuſmodi abſentia, aut animarum curę diſpendio, aut piis hominibus ſcandalo ſit, ſuper quo etiam conſcientiam concedentium oneramus. Retineant autem Plebani, & teſtes ſinodales prędicti librum, in quo huiuſmodi conceſſiones deſcribantur: ſi quis verò Plebanus, Prior, Rectorue, vel alius, cui animarum cura commiſſa ſit, extra propriam parrocchiam permanere, vel permanſiſſe contra ſuperius expreſſa probabitur ſine eiuſmodi licentia, poſſit contra ipſum, tamquam contra non reſidentem procedi, & ad priuationem fructuum, & alias pænas iuxta canonicas ſanctiones deueniri. Poterit autem ordinarius, ſi opus fuerit ad longius tempus ſecundum diſpoſitionem ſacri Tridentini Concilii diſpenſare.

MONEMVS omnes Diœceſes noſtræ clericos, vt ſacrę ſcripturæ ſtudio inuigilent, theologiæ præſertim, quæ ad curam animarum pertinet, quæ caſuum conſcientiæ nuncupatur ſtudeant, pręcipuè autem vrbanos exhortamur, quibus ingens commoditas ſuppetit, cum, & in Metropolitana Eccleſia ſacræ ſcripturæ lectio habeatur, & in publico gymnaſio, Theologia quę ad praxim pertinet explanetur; vt in uocatione, qua vocati erunt, cum fructu dirigatur.

Digitized by Google

INTERDICIMVS omnibus,& ſingulis clericis tam ſecularibus quam regularibus in quouis ordine, & dignitate conſtitutis, ne ſine ſpeciali Ordinarii licentia audeant exorcizare energumenos, benedicere paramenta, orationes quadraginta horarum indicere, proceſſionem extra propriam Parochiam præter conſuetudinem ducere, niſi peculiari Sedis Apoſtolicę priuilegio muniantur.

PLEBANI omnes, ac plebaniarum Vicarii,& Rectores ſaltem quolibet menſe teneantur exquirere, an ſinguli Eccleſiarum Parochialium Rectores,qui infra fines ſuæ plebaniæ degunt, etiam ſi ab eorum ſuperioritate, Parochiæ, vel Eccleſiæ ſint exemptę, congruenter muneri ſuo ſatisfaciant, & quolibet anno per totum menſem Iunii tranſmittant ad Cancellarium Archiepiſcopalis curię notulam, in qua deſcriptus ſit ſtatus totius Plebaniæ, & ſingillatim vnius cuiuſq; Eccleſiæ,etiam non curatæ, &,vt ſuperius dictum eſt, exemptæ. Adnotent autem an rectores, qui ad reſidentiam tenentur, perſonaliter reſideant, an in Sacramentorum adminiſtratione muneri ſuo ſatisfaciant,an intra Parochiarum fines tollerent publicos peccatores, an pueros Doctrinã Chriſtianã doceãt,an ipſi ſanctè, & piè viuãt, cæteriſq; bonum exemplum præbeant, vt tenentur, an prauis moribus ouium ſaluti offendiculũ præſtent, an eorum eccleſiæ ſacris vaſis, veſtibus, libris,cæteraq; eccleſiaſtica ſupellectili ſint decenter ornatæ, an bona eccleſiæ alienauerint, vel negligentia malitiàue minus culta,& fructuoſa reddiderint, an eccleſiæ, vel presbiterales domus indigeant reparatione: quę omnia,& cętera,quę ad animarum ſalutem,

&

Digitized by Google

& honorem Dei pertinere ipsis videbuntur, sedulò conscribant, transmittantq; sub pœna scutorum viginti quinque ipso facto absque aliqua alia monitione, sine spe veniæ incurrenda; quorum quinta pars Cancellario Archiepiscopalis Curiæ acquiratur, quod superest locis piis arbitrio Ordinarii applicetur.

DE CELEBRATIONE MISSARVM.

CVM experientia cognitum sit, si passim licentiæ celebrandi Missas in Oratoriis priuatis cõcedantur, non augeri deuotionem, sed potius euenire, vt incurratur in contemptũ, & irreuerẽtiam, multaq; subinde exoriri salubri Parochialium cõditioni, & saluti animarũ aduersantia, cũ Ecclesiæ Parochiales ex hoc deserantur, nec oues à proprio pastore salubribus monitis instrui possint; atq; è conuerso durum admodum, nec pietati Christianę consentaneũ sit, omnibus huiusmodi facultatẽ denegare, vt in posterum aliquis delectus haberi possit, reuocamus, & irritamus omnes, & quascumq; licentias hactenus ab Ordinario concessas celebrandi Missas in huiusmodi priuatis Oratoriis; statuimusq;, ne in posterũ concedantur, nisi de mandato Ordinarii Oratoriũ inspiciatur, an sit decenter instructum, & ornatum, an congruo loco exædificatum, nec nisi causa cognita, & propter euidentem necessitatem, & ea tantum durante, causaq; in concessione exprimatur.

DECERNIMVS etiam celebrantes tam prædictis priuatis Oratoriis, quam in publicis infra limites alicuius Parochiæ existentibus abstinendum esse ab omnibus, quæ aliquo modo directè, vel indirectè

vertant

vertant in parochię præiudicium, vt aliàs à prouin-
ciali Cõcilio constitutum fuit, caueantq; in primis,
ne in illis confessiones audiant, ne'uè corpus Domi
ni nostri IESV CHRISTI distribuant, nisi lo-
ci dominis, & eius familiæ tantummodo, campanu-
las ad conuocandum populum ne pulsent, festiuita-
tes, & ieiunia non annuncient, confessionem quę
â Parochis ante offertorium recitari solet, ne reci-
tent, matrimonia, ordinationes, & quæcunque alia
ne denuncient, mulieres post partum, puerosq; ne
benedicant, cinerum, palmarum, candelarumque
benedictionem ne faciant, nullæ collectæ fiant so-
lennitates, festiuitatesq; etiam sancti illius ad cuius
honorem erectum est Oratorium, non celebrentur,
nisi de expresso consensu, & licentia Parochi, quæ
omnia cęteraq; iurisdictionem importantia habean
tur pro interdictis omnibus intra limites alienæ Pa-
rochiæ celebrantibus.

NON prætermittãt Parochi Missas in propria Eccle-
sia celebrare præsertim festiuis diebus, prout tenen-
tur, satisfaciantq; suo officio, & oneribus ab eorum
Ecclesiis susceptis Missas verò votiuas mortuo-
rum prædictis diebus ne celebrent sub pænis in Si-
nodalibus constitutionibus contentis, nisi aliqua
consuetudo, quæ non minor sit quadraginta annis,
contrarium præscripserit.

INVALVIT abusus, vt Sacerdotes festiuis diebus pro-
prias Ecclesias deserentes ad alias solennitatum, aut
festiuitatum occasione se conferant, aut ad vrbem,
aut ad aliam longe distantem Ecclesiam processio-
nem ducant, & vtroq; casu Ecclesias proprias Missa
defraudent, cum plerunque populi pars, domi, sine

Digitized by Google

Missa remaneat; quam consuetudinem vt animabus pernitiosam tollere intendentes decretum Prouincialis concilij super hoc constitutum ad inuiolabilem obseruantiam reuocãtes omnibus Ecclesiarum Rectoribus prohibemus, ne his vel aliis prętextibus Dominicis, aliisq; festiuis diebus populos suæ curæ commissos sine salutaris sacrificii oblatione relinquant, nisi accesserint ad Plebem, vel ad aliquã Ecclesiam de plebatu non distantem vltra mille passus, nec habentem flumen in medio, ita vt verisimiliter populos ad Ecclesiam honoratam, vel aliã vicinam possit accedere, ibiq; audire Missam; qui secus fecerint præter mortale reatum, à quo non excusantur, in florenis duobus condemnauit, quorum dimidium accusatori, reliquum iudici, cæterisq; iustitiæ ministris acquiri voluit.

NVLLVS Secularis Clericus in Sacerdotem ordinatus sub pœna suspensionis primam Missam celebret nisi licentiam ab Ordinario obtinuerit, non concedendam, nisi aliquis ceremoniarum Magister, vel Sacrista attestetur eiusmodi Sacerdotem esse in ceremoniis conuenienter instructum: quo verò ad Regulares propriorum Prælatorum, & Superiorum conscientiæ reliquatur; Missam celebrare nullus Sacerdos audeat, nisi altare coopertũ sit tribus diuersis tobaleis, qui secus fecerit arbitrio Ordinarii corrigatur.

SANCTISSIMVM Eucaristiæ sacramentum saltem semel in hebdomada renouetur.

IN ruralibus plerumq; locis inualuit corruptela, vt parentes friuolis quibusdã de causis, vel potius superstitionibus decepti, puellas, virgines, etiam cum

ad pubertatis annos peruenerint, in diebus festiuis, quibus ex Ecclesiæ præscripto Missarum solemniis interesse deberent, ad Ecclesiam minimè ducant, cùm è conuerso ad choreas, ludosq; eas mittere nō erubescant: quare huic malo obuiare cupientes mandamus omnibus Parochis, quatenus huiusmodi vtriusq; sexus parentibus admonitis, sed contumacibus, & obstinatis vsum etiã Sacramētorũ (casu necessitatis excepto) quousq; resipiscant, denegent. & etiã si oportunum duxerint; ab Ecclesia expellãt.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

SERVENTVR circa fontem baptismalem, aliaque ad collationē Baptismi pertinentia, omnia, quæ in aliis Synodis præsertim in Diœces. MDLXXXIX. decreta, & statuta sunt.

In compatres baptizandorum non admittantur, qui Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam Præcepta Decalogi, & Symbolum Apostolorum memoriter non tenent.

Retineant Plebani, aliiq;, apud quos est fons baptismalis, librum, in quo omnium baptizatorum, eorumq; parentum, & compatrum nomina describantur, diesq;, & hora natiuitatis baptizati iuxta præscriptum aliàs traditum. Teneantur autem singulis annis per totum mensem Iunii transmittere Cancellario Curiæ Archiepiscopalis schedulam, vel libellum, continentem nomina baptizatorum, parentum, & compatrum, diemq;, prout superius expressum est, qui eam in Cancellaria registret, & deferenti suæ receptionis fidem faciat; Plebani verò aliiq;

Rectores

Digitized by Google

Rectores huiusmodi decreto inobedientes, eo ipso dicto transacto tempore, in florenis decem mulctati intelligantur, contraq; ipsos ad huiusmodi mulctæ exactionem, nulla præuia monitione, ex officio procedatur.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

OBTINVIT consuetudo huius diœcesis, vt in Metropolitana Ecclesia Florẽtina ab Illustrissimo Archiepiscopo sacramentum confirmationis publicè ministretur tribus continuis diebus in ipsa Pentecostes solennitate: quare non omittant Parochi de hoc admonere populos in pręcedenti Dominica die, inter Missarũ solennia, & edisserere huius sacræ vnctionis effectum, & vtilitatem, exhortariq;, vt qui nõ dum est sacro chrismate delibutus non vltra differat ad illud percipiendum accedere; etiam admoneant, vt filios septemnio maiores mittant; doceant etiam præsertim adultos cum multi spiritales effectus inde sequantur, gratiaq; in primis conferatur, vt laudabiliter ad huius sacramenti perceptionem accedant, congruum esse, & confiteantur peccata sua, & communicent.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

NE propter Sacerdotum imperitiam animarum salus periclitetur, vtq; per nouum examen de eorum scientia possit Ordinarius diiudicare, diligentiusq; singulos de proprio officio admonere, statuimus, vt vnusquisque tàm Secularis, quàm

Digitized by Google

regularis Sacerdos ad confeſſiones audiendas præterito tempore approbatus, qui delegatam habeat iuriſdictionem, teneatur intra terminum ſex menſium ſe ſubieciſſe examini, vt rurſus, ſi idoneus reperiatur, approbetur; eo verò termino elapſo abolitæ, & reuocatæ ſint, & eſſe cenſeantur omnes, & quæcunq; licentiæ, & facultates audiendi confeſſiones tā ore tenus, quàm in ſcriptis ſub quacunq; forma per Illuſtriſſimum Archiepiſcopum, & eius anteceſſores, & pro tempore Vicarios tam Secularibus quam Regularibus cuiuſcunque gradus, & præeminentiæ exiſtant, quomodolibet conceſſum, exceptis tamen Regularibus, ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo viuente, ſeu eius Vicario generaliter, & nulla habita diſtinctione approbatis.

HABEATVR autem ſingulis hebdomadis examen ad confeſſiones admittendorum coram Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, vel eius Vicario diebus à prædicto Illuſtriſsimo deputandis prædicto tēpore durante.

OMNES Parochi, & qui ad confeſsiones audiendas approbati ſunt, poſsint quorumcunque ad ſe accedentium; dummodo ſint de diœceſi, peregrinorum verò iuxta canonicas ſanctiones cōfeſsiones audire in Eccleſiis dumtaxat ad quarum ſeruitia fuerunt deputati.

LICENTIAE audiendi confeſsiones in poſterum non concedantur, niſi propter Eccleſiarum neceſsitatem, nec quis ad examen mittatur, niſi exhibuerit atteſtationē ſui ſuperioris ſecularis, ſeu regularis de ſua conuerſatione, moribuſq;, & idonea ſcientia.

IN qualibet Eccleſia, vbi plures ad confeſsiones audiendas deputati fuerint, affigatur album, ſeu tabula

bula

bula in loco patenti, & conspicuo, vt ab omnibus ingredientibus perspici, & legi possit, in qua omnium in ea Ecclesia ad confessiones audiendas deputatorum nomina sint descripta.

CAVEANT confessarii, ne pænitentibus aliquã prebeãt auaritię suspicionem; præsertim verò si pecuniarias pænitentias imposuerint, pecuniarum erogationes, pro Missis dicendis, eleemosinis largiendis, aliisque bonis operibus perpetrandis sibi ne arrogent, aut reseruent, sed pęnitentiis prorsus libero arbitrio relinquant.

PROHIBEMVS omnibus infirmorum confessiones audientibus, ne se quoquo modo ingerant in confectione testamentorum etiam occasione legatorum piorum relinquendorum, aut eleemosinarum, præsertim verò caueant, ne confitentem inducant ad sibi, vel Ecclesiis suis aliquid reliquendum, sed penitus si sine animę discrimine fieri poterit totum huiuscemodi negotium proprio arbitrio relinquant; qui verò pænitentem infirmum ad legata sibi vel suis Ecclesiis, aut locis relinquenda directè vel indirectè persuaserit, vel persuadere tentauerit ipso iure sit à confessionibus audiendis suspensus.

MEMINERINT Regulares, qui in domibus laicorum confessiones ex causa audiunt, ex præscripto sacræ Cardinalium congregationis, teneri statim Parochum admonere, vt scilicet cætera possit conferre sacramenta, & Parochialem curam exercere, ne ob ignorantiam officio suo deesse cogantur.

Digitized by Google

DE SANCTISSIMO EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

AD obuiandum eorum ſubterfugiis, qui variis artibus Eccleſię præcepto de cõmunicando ſaltem quolibet anno circa feſtùm Reſurrectionis D. N. IESV CHRISTI parere recuſant, aut quæſitis coloribus Parochi cenſuræ ſe ſubtrahere non verentur, occulta & ineuitabilia Dei iudicia minimè metuentes, ſtatuimus, vt quilibet cuiuſuis ſtatus, & conditionis exiſtat circa feſtum Paſchæ iuxta canonicas ſanctiones teneatur in propria Parochia cõmunicare, nec poſſe aliquem quouis prætextu alibi niſi de ipſius Parochi permiſſu in ſcriptis concedendo cõmunionem percipere, nec etiam ſi ad Metropolitanam Eccleſiam acceſſerit, inhibemuſq; omnibus tàm Curatis, quàm non Curatis, Secularibus, & Regularibus, etiam Metropolitanę Eccleſiæ Sacerdotibus, ne huiuſmodi oues a propriis gregibus aberrãtes recipiant, quinimo ſi ſine ſcandalo fieri poterit, expellant. Decernimus autem illos ſic cõmunicantes, etiam vt præmiſſum eſt in Metropolitana Eccleſia, non ſatisfacere Eccleſię præcepto, & vinculo mortalis reatus teneri; quare Parochi monitos, & contumaces Ordinario tamquam non cõmunicantes denuncient. contraq; illos iuxta ſacrorum Canonum, & Synodalium conſtitutionũ decreta procedatur, conſuetudinibus, priuilegiis, immunitatibus, & exemptionibus quibuſcumq;, quæ Apoſtolica auctoritate minime fulciantur non obſtantibus.

DE

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

SINGVLIS annis Plebani oleum infirmorum, cæteraq; olea ab Archiepiſcopo conſecrata à Sacriſta Metropolitanę Eccleſiæ accipiant; Rectores autem ſinguli à ſuo Plebano petant, & non ab alio, nec etiã ab Eccleſia Metropolitana ſub pæna ſuſpenſionis niſi legitima conſuetudo, vel priuilegium interceſſerit.

SACRISTA verò Metropolitanæ; non niſi Plebanis, & eorum Nuntiis, & Prioribus, Rectoribuſq; à Plebaniis exemptis, quibus præberi ex immemorabili conſuetudine ſolet, præbeat.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

SEDVLA, circumſpectaq; omnino ſit Parochorum diligentia in matrimoniis coniungendis, tùm quia multiplex adeſt occaſio errandi, tùm quia huiuſmodi errata maxima cum pernicie animarum tollerantur, & non ſine graui ſcandalo corriguntur: inquirant itaque diligenter ſtatum, conditionemq; contrahere volentium; præſertim verò nouerint ex quo tempore in ſuis Parochiis commorari cœperint, nullaq; ratione eorum, qui nuper aduenerint, peregrinorum, cæterorumq; ſibi parũ cognitorum matrimoniis ſine ſpeciali Ordinarii licentia interſint. Oriundos autem ex alia diœceſi non admittant, niſi atteſtationem denunciationum in propria diœceſi, & Parochia factarum in authenticam

Digitized by Google

ticam formam ſibi exhibuerint.

Cvm in legitima præſtatione conſenſus matrimonij virtus conſiſtat, gratiaq; in primis conferatur, doceant Parochi cõtrahentes, lethale eſſe ſine contritione hoc ſacramentum celebrare; ideoq; vt periculum euitetur exhortetur, & inſtet, vt ad hanc actionem peragendam non niſi poſt confeſſionem, & ſanctiſsimæ Euchariſtię ſumptionem accedant.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

VT ad altaris munia, ſacroſq; ordines idonei, digniq; aſſumantur, neuè Eccleſiaſtica miniſteria indignorum electione fœdentur, & vt diſpoſitione Tridentini Concilii ſatisfiat, decernimus, vt Clerici ſeculares, qui de cætero ad ſingulos maiores Ordines promoueri volent, ſaltem menſe ante Ordinationem habendam per proprium Parochum in Dominica, vel alia ex Eccleſiæ præcepto obſeruanda die, inter Miſſarum ſolennia, & cum populi frequentia conuenerit, nomen proprium, & ordinem, ad quod promoueri cupiunt, denunciari curent; pertinebitq; ad Parochi officium, docere populum ea, quæ ſuſceptionem ordinum impediunt vt vnuſquiſq; ſiquod impedimentum nouerit, ipſi reuelet; inquiret autem, an ordinandus legitimis natalibus ortus ſit, an ætatem ad ſuſceptionem cuiuſcunque ordinis neceſſariam habeat, an publicè aliquod graue peccatum admiſerit, an homicida, an percuſſor, an ſeditioſus, an Simoniacus, an bigamus, an infamia iuris, vel facti laboret, an curiæ alicui propter delictum ſit obnoxius, an de hæreſi ſu-

ſpectus

ſpectus, an publicam pænitentiam egerit, an piè, & honeſtè conuerſatus ſit; ſi autem ad patrimonii titulum ordinatur, an patrimonium ſit ſufficiens, & an ipſe poſsideat.

ATTESTATIONEM autem huiuſmodi denunciationis factæ Parochus ordinãdo exhibeat; quòd ſi aliquod impedimentum Parocho reueletur, teneatur ante tempus Ordinationis habendæ id quod reuelatum fuit, Ordinario per literas ſignificare, vt ipſe ſtatuere poſſit pro vt in Domino nouerit expedire, ſi verò ordinandus huiuſmodi atteſtationem Parochi non habuerit, nullo pacto ad examen admittatur.

AD titulum patrimonii deinceps nullus ordinetur; niſi ob manifeſtam Eccleſiæ neceſſitatem, & præuio rigoroſo examine, ante menſem habendæ ordinationis faciendo; ſi ante prædictum tempus Ordinandus examini non ſe ſubiecerit, deinceps non admittatur.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

VSVM docendi pueros rudimenta fidei, vt potè animarum ſaluti per neceſſarium, augere, & promouere cupientes, ſtatuimus, vt omnes Eccleſiarũ Parochialiũ Rectores teneãtur pueros docere Doctrinã Chriſtianam; quapropter & inter Miſſarum ſolemnia, & quoties expediens fuerit, & etiam per prædicatores verbi Dei, aliiſq; omnibus modis, quibus fieri poterit aſſiduè oportunè, & importunè populum moneant, vt ad eam percipiendam pueros ſuos ad Eccleſiam mittant, indulgentiaſq; promulgent à Sũmis Pontificibus tam ſalutari operi incumbentibus

cumbentibus concessas, nullamq; omnino mercedem accipiant, sciantq;, si in huiusmodi negocio deliquerint, vel se negligentes præstiterint. non excusari à graui delicto: parentes verò, qui absq; graui causa filios mittere neglexerint vel recusauerint etiam per Sacramentorum subtractionem ad resipiscendum compellant.

DE CVLTV, ET OBSERVATIONE FESTORVM.

PROHIBEMVS omnibus curam animarum gerentibus, & quibuscunq; Prædicatoribus, & Correctoribus, Secularibus, & cuiusuis ordinis Regularibus, ne tamquam de prçcepto mandent obseruari festa, aut ieiunia, quç non sint cõmuniter, secundum Canonum dispositionem, & inueteratam nostræ Diœcesis consuetudinem de præcepto obseruanda; etiam si essent festiuitates Metropolitanç Ecclesiç, aut titulorum Parochie, sine expresso Ordinarii mandato, qui contrafecerint arbitrio Ordinarii puniantur.

DE SACRIS IMAGINIBVS.

QVIA plerumq; euenit, vt in pingendis, sculpendisq, sanctorum imaginibus indecora, & incongrua admisceantur, parumque simplicitati Christianæ conuenientia, vel etiam errores falsæq; historiç exprimantur, Sacri Tridentini Concilii decretis inhærendo, decernimus, vt deinceps sine expressa Ordinarii licentia nõ cõcedenda sint sine approbatione

tione

tione examinatorum super hoc deputandorum à Pictoribus, & Sculptoribus in scriptis obtinenda in Ecclesiis, aliisq; piis locis, publicisq; quibuscunque non exponantur, vel euulgentur, expositæ vero si opus fuerit emendentur: quod etiam valeat in scriptionibus quibuscunque tam in altaribus, sepulturis, aliisq; Ecclesiarum locis, quam etiam in profanis per vrbem, & extra insculpendis, seu pingendis imposita Pictoribus, Sculptoribus, Architectis, & aliis, qui preter præscriptum modum publicauerint decem florenorum pena, quarta accusatori, reliquis partibus piis locis applicandis, arbitrioque insuper Ordinarii pro modo culpæ plectantur.

DE SEPVLTVRIS.

IRREPSIT abusus in ruralibus præsertim quibusdam Parochiis, vt mortuorum corpora, & præcipuè puerorum sine luminaribus, sine Crucis vexillo, nullo Clerico, vel Religioso comite, omisso prorsus quolibet Ecclesiastico, vel Christiano ritu ad Ecclesias per vnum aliquem Laicum deferantur; cui obuiare cupientes mandamus omnibus curam animarum gerentibus, vt nullo modo tollerent, Christi fideles, pio exequiarum cultu, & Ecclesiæ precibus fraudari; sed vbi paupertas aderit, ipsi luminaria, cæteraq; necessaria commodare gratis teneantur, vbere à Deo mercedem suscepturi; deputent autem singulis mensibus aliquos de societate, si aderit, sin minus de populo, qui sepeliendis pauperum corporibus gratis inseruiant; Parochus autem, qui negligentia, vel auaritia, quod absit, in hoc

Digitized by Google

deliquerit, per mensem à diuinis suspendatur, & insuper pro modo criminis grauiter arbitrio Ordinarii puniatur.

DE SPECTACVLIS.

QVONIAM summopere cauendum est, ne ea, quæ à religiosis, piisq; viris in pietatis augumentum efficiuntur, populo fiant in ludibrium & delusum, prębeaturq; simplicioribus occasio indeuotionis, & scandali, prouincialis Synodi decretis inhærendo statuimus, vt in posterum nullus Laicus, aut Clericus, aut etiam Regularis cuiusuis ordinis, & dignitatis audeat Sacras historias aut Sanctorum gesta in Ecclesiis quibuscunq; etiam regularium societatibus, aut aliis publicis locis repræsentare, nisi expressa Ordinarii licentia in scriptis obtinenda muniantur. Prohibemusque etiam in maiori hebdomada Passionem D. N. IESV CHRISTI repręsentare, canere, aut recitare cum pluribus personis, aut aliis indumentis, quàm ab Ecclesia & Missali, seu rituali ordinetur, sub pœna suspensionis, & arbitrii Ordinarii.

SACRORVM Canonum vestigiis inhærendo declaramus per descriptionem in Confratriis, & societatibus Laicorum, vel etiam Regularium, paruorum habituum, corrigiarum, cordularum, cæterorumq; huiusmodi in vita gestationem, vel in mortis articulo susceptionem, non declarari animum descripti huiusmodi, vel talis habitus gestantis, vel suscipientis fuisse eligere sepulturam in confratrijs, vel Ecclesiis illius habitus, vel ordinis, nisi aliter de illius intentione

tione constet & nisi speciali Sedis Apostolicæ indulto cautum sit.

Electio autem sepulturę non probetur, nisi duobus testibus, aut maiori probatione, & ad euitandam fraudis & auaritiæ suspicionem ijdem testimonium ne ferant, quorum quacunque ratione interesse poterit.

DE COMMENDIS ET VNIONIBVS BENEFICIORVM.

BENEFICIA curata, quæ adeo tenues habent prouentus, vt ad Rectoris victum sufficere non possint, quæ ad præsens vacant, vel in posterum vacare contigerit ipso facto commendata sint Rectori Ecclesiæ curatæ vicinioris, isq; animarum curam exerceat, & in omnibus tamquam Parochus se gerat, donec per Ordinarium aliter decernatur; reddat, autem quolibet anno per totum mensem Augusti rationem suę administrationis, quo ad temporalia, & deducta competenti mercede arbitrio Ordinarii sibi assignanda, quod supererit penes eundem Camerarium relinquat, vt de eo Ecclesia reparari, redditus augeri, & alia fieri possint, quæ ad augmentum diuini cultus, & bonum Parochiæ statum Ordinario expedire videbuntur.

Si verò huiusmodi Ecclesiæ erunt patronatę, & patroni ad eas pręsentent; præsentatus non ordinetur, nisi aut ex alio titulo vel patrimonio habeat, ex quo vnà cum fructibus Ecclesię commodè viuere possit, caueatq; de residentia arbitrii Ordinarii.

Digitized by Google

DE BONIS ECCLESIAE NON ALIENANDIS.

NE relicta piorum, & patrimonia Christi, & pauperum temere à quoquam vsurpentur, certiorq; de eis notitia haberi possit, statuimus, vt omnes Clerici beneficia ecclesiastica possidentes capitulorum cæterorumq, ecclesiasticorum, collegiorum, & mensarum præsides, & camerarii hospitalarii confraternitatum, & societatum gubernatores, & administratores iurisdictioni Archiepiscopi Florentini quomodocunque subiecti, Abbatissæ insuper, & Priorissæ, cæteræque Monasteriorum præsides teneantur infra terminum sex mensium conficere inuentarium omnium, & quorumcumque bonorum mobilium, & censuum, ac præstationum perpetuarum ab eis eorum capitulis, hospitalibus, cõfratriis, & monasteriis possessorum vnà cum nominibus locorum finium expressionibus, mensurisq; sub pœna excommũnicationis quo ad personas, quo verò ad loca, & collegia interdicti. Poterit autem huiusmodi tẽpus arbitrio Ordinarii ex causa prorogari.

DE ECCLESIIS REPARANDIS.

DECERNIMVS etiam sacrorum Canonum, & prçcipue prouincialis nostræ Synodi vestigiis inhærendo tertiam partem redditruum ecclesiarum esse hypothecatã pro Ecclesiarũ reparatione, & instauratione, & pro ornamentis, vasis, libris, aliisq; ad diuinum cultum pertinentibus, pro vt latius in dicta constitutione continetur.

DE

Digitized by Google

DE MONIALIBVS.

PRAECIPIMVS omnibus Abbatissis, Priorissis, cæterisq; Monasteriorum præfectis, in quibus puellæ educationis gratia asseruantur, vt cùm ad eorum notitiam peruenerit aliquam ex prædictis puellis sponsalia contraxisse, vel eius nomine fuisse contracta, amplius illam in eorum monasterio commorari non patiantur, nec vllo pacto tollerent præter vnam, aut ad summum alteram diem; quo tempore eam ad crates accedere minimè permittant: si verò parentes, vel ij, ad quos spectat, negligentes fuerint in ea educenda, teneantur præfectæ prædictæ commonefacere Ordinarium, vt Canonicis pænis illos compellat; Abbatissę autem, & Priorissæ, cæteræq;, ad quarum officium spectat, huic decreto inobedientes, ab officio ipso facto suspendantur.

DE CONFRATRIIS LAICORVM.

ADVIGILENT Gubernatores, cæteriq; confratriarum, & societatum Laicorum prefecti, vt conciones, sermonesq; à piis tantum, probatisque viris habeantur, qui de rebus moralibus loquantur, Theologicasq; questiones, & scripturarum interpretationes deuitent, nec omnino attingant, & si fieri poterit, adsit corrector; si verò malitia, vel negligentia deliquerint, sciant loca ecclesiastico interdicto, se ipsos excommunicatione plectendos.

DE

Digitized by Google

DE BIBLIOPOLIS, ET IMPRESSORIBVS.

PROHIBEMVS omnibus, & ſingulis bibliopolis, & impreſſo ribus, imprimere, & publicare libros nuper impreſſos cuiuſcunque materiæ, etiã ſi verſiones continerent, & eſſent alias, vel alibi impreſsi, vel publicati, atque omnino aliquid imprimere, etiam ſi minimum eſſet, & breuiſsimam ſcripturam contineret, etiam ſi ad publicationem Indulgentiarum, cęteraq; ad pietatem ſpectantia pertinerent, ſine expreſſa approbatione, & licentia Ordinarii in ſcriptis obtinenda, ſi deliquerint, arbitrio Ordinarii punientur.

DE CONSTITVTIONIBVS.

DECERNIMVS item, & declaramus Synodales conſtitutiones Prouincialis Florentinæ Synodi celebratæ anno 1517. ſub Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Iulio de Medicis S. R. E. Cardinali, & Archiepiſcopo Florentino, & poſtmodum Summo Pontifice Clemente Septimo, à Leone Decimo, duplici diplomate munitas, eſſe in viridi obſeruantia, vnà cum declarationibus ab Archiepiſcopo Florentino pro tempore factis, quatenus ſacroſancti Tridentini Concilii decretis, aut conſtitutionibus Pontificiis poſtea editis non repugnent.

SYNODOS etiam, edicta, conſtitutiones, & reformationes quaſcunque ab Illuſtriſsimo Alexandro Medice

dice

dice Cardinali, & Archiepiſcopo Florentino, & poſtmodum Leone Vndecimo promulgatas obſeruari mandamus; pręſentes verò conſtitutiones poſt duos menſes à die publicationis robur aſſumere volumus.

Declaramvs autem neque per has, neque per alias conſtitutiones induci noua peccata mortalia, niſi quis tranſgrederetur in contemptum, & niſi expreſſum ſit.

DE IVDICIIS.

EORVM omnium quæ à Prouinciali Synodo ſtatuta fuerunt ſub Iulio Cardinali, & Archiepiſcopo Florentino, in modo procedendi, & decidendi in foro Eccleſiaſtico, & cauſis in eo vertentibus, omnibus tàm Iudicibus, quàm Notariis, & Procuratoribus, aliiſq; in dicto foro verſantibus inuiolabilẽ obſeruantiã, præcipimus abuſibus, & corruptelis, quæ cum maximo litigantium diſpendio irrepſerunt, pęnitus abolitis.

Decernimvs, vt in cauſis ordinariis, & ſummam librarum ducentarum excedentibus, libello, per actorem ſeu ſummaria petitione porrecta, reus citetur ad tertiam diem Iuridicam ad dicendum contra dictum libellum; & pariter ad videndum actorem de calumnia iurare; quo termino elapſo, actor præfatus admittatur indifferenter ad iurandũ de calumnia, etiam in contumaciam partis; & ſi aliquæ exceptiones per reum in dicto termino dentur, ſemper ſint, & intelligantur reſeruatæ in fine litis, niſi ſint excommunicationis, rei iudicatæ, ſuſpici-

ſpicionis Iudicis, ſeù recuſationis, iuxta reformationem Curiæ alias per fel. recordationis Leonem Vndecimum tunc Archiepiſcopum Florentinum ædittum, & in dictis exceptionibus ſeruentur termini prædictarum Conſtitutionum.

PROHIBEMVS adſignari terminos ad deliberandum, & ad notificandam litem, ſed tres dies adſignati ad dicendum contra libellum etiam ad prædicta ſufficiant.

DISCVSSIS, vel reſeruatis exceptionibus, adſignetur teminus ad ponendum, & articulandum, ſi petatur, & ad alia procedatur ad præſcriptum conſtitutionum.

DILATIONES omnes, ceteriq; termini probatorij, poſt dictum præſcriptum aſſignati, partibus non ſuffragentur, nec Iudex ſuper probationibus, in ipſis factis, poſſit ſe fundare in cauſæ deciſione, ſed dumtaxat, ſi ſibi videbitur, prædicta in alio iudicio, ſeu inſtantia, aut in exequutione diſcutienda reſeruet, quod etiam obſeruetur in caſu, quo pars audiri petierit ob ſcripturas de nouo repertas.

SI aduerſus probationes omiſſas petatur in integrũ reſtitutio, petens tenebitur in animam propriam (quamuis ſit procurator, vel quocumque nomine pro alio in iudicio compareat) iurare, ſe non animo calumniandi, aut litem protelandi petere; & tunc, & nõ aliàs Iudex, ſi videbitur, poterit adſignare decem dies vtiles; intra quos, tam cauſas prætenſæ reſtitutionis, quàm ipſas probationes omiſſas in iudicio proponet; nec poſt dictum terminum audiatur, nec ad petendam aliam reſtitutionem ex eodem capite admittatur. Et ſi quæ exceptiones ex aduer-

ſo

Digitized by Google

so proponentur, iudex non tenebitur super ipsis pronunciare, sed cum negocio principali in fine litis sint ipso iure reseruatæ.

Libelli, capitula, exceptiones, replicationes, productiones, & aliç quçcumque comparitiones, appellationum etiam cedulæ, tàm in causis primæ instantiæ, quàm aliarum verbo dumtaxat, per Notarios actuarios, vel substitutos, non recipiantur, aut in actis describantur sub pena periurij, & libr. 50. ipso facto pro qualibet vice incurrẽda; pro mediate arbitrio ordinarij locis pijs, pro alia medietate denũtiatori ẽt secreto, & in causa nullũ habẽti ĩteresse, applicãda, ac priuationis officij, si vltra tres vices deliquerint, qđ ẽt in exceptionibus, quæ tamquam non integræ dicuntur, dari ad reportandum obtineat.

Omnium productionum, & aliorum vt supra in iudicio exhibitorum copia, eo ipso, quòd exhibitæ fuerint, parti alteri sit decreta, sublato prorsus termino ad copiam accipiendam, quç à Notario, recepta competenti mercede, sine mora, parti petenti exhibeatur, absq; alio iudicis decreto; qui si differat tradere, cogi possit, etiam per mulctç impositionem, & capturam personalem arbitrio Iudicis, à quibus non liceat appellare, & contra dictas productiones, & comparitiones parti aduersæ licitum sit quandocumque vsque ad conclusionem in causa quascunque exceptiones peremptorias, vel replicationes proponere.

Qui articulos exhibet, teneatur iurare se credere omnia, quæ ponit vera esse; Quod si non fecerit, pars aduersa ad respondendum non compellatur.

Citetur pars ad respondendum positionibus ad

primam diem, si citatio in personam exequatur, semel; si ad domum, bis. Die verò elapsa non facta responsione, absq; alio decreto Iudicis positiones habeantur pro confessis.

RESPONDEATVR semper in manibus Iudicis præsente causæ actuario, pręcisè p verbũ Credit, vel, nõ Credit, nec aliæ responsiones admittantur. Quod si pars iurauerit, se ignorare contenta in aliquibus positionibus, si sit principalis, vel procurator, cuius principalis sit in ciuitate, asignẽtur ei duo dies; si verò principalis sit absens, sex dies, vel plures Iudicis arbitrio (dummodo mensem non excedat, etiam si esset extra prouinciam) ad se informandum, cogaturq; pręcisè respondere, vt supra dictum est, nisi agatur de facto, de quo verisimiliter notitia haberi non posit; aliàs habeatur pro confesso.

SI verò pars, siue sit principalis, seu mandatarius aliquam ex dictis positionibus negauerit, & contrarium probetur; negans habeatur in causa tanquam periurus, & vt talis à iudice posit puniri, quod etiã obtineat, quando ponens non vera posuisse deprehendetur.

CAPITVLA, seu articuli semper habeantur pro admissis, saluo iure impertinentium, & non admittendorum, nisi aliter Iudici ex causa rationabili videatur, & pars citetur ad primam diem ad dandum interrogatoria; qua elapsa, sine alia pronunciatione, comminatione, aut reseruatione, absque interrogatoriis, examinentur, & in examinandis testibus, vel reprobandis, terminus constitutionum seruetur: Examinẽtur autem à Notario actuario cum adiuncto, & etiam, altera partę petente, in presentia

tia Iudicis, propriis petentis expensis, quarum ratio habeatur in fine litis.

INTERROGATORIA non exhibeantur nisi pertinentia ad causam; & impertinentia possint per Iudicem, etiam non citata parte, resecari.

DICTIS autem terminis elapsis, iuxta Constitutiones ad instantiam vnius ex partibus petentis, assignetur terminus communis viginti dierum vtilium, ad probandum, & probatum habendum; qui, nisi de consensu vtriusque partis non suspendatur: possit tamen Iudex, si altera pars, modo quò supra, iurauerit se habere scripturas, vel testes in partibus longinquis, & predicta non petere animo calumniandi, aut litem protelandi, concedere vnam, vel plures dilationes, habita ratione ad locorum prædictorum distantiam; dummodò in totum spatium octo mensium non excedant; exhibitis tamen prius capitulis, & testium nominibus, examinandorum.

ET si petens intra præfatum terminum testes non examinauerit, vel scripturas non produxerit, præsumatur petiisse animo calumniandi, & possit, vt periurus, & calumniator puniri: & in prædictis, ac aliis casibus, in quibus procurator cum sufficienti mandato admittitur ad iurandum in iudicio, periurium procuratoris noceat Domino.

IN causæ conclusione, & aliis Iudiciariis actibus, omnino seruetur ordo prædictarum Constitutionum, tàm per Notarios, quàm per Procuratores, & intra terminum statutum in Constitutionibus procuratores tàm actoris, quàm rei, integrum processum Iudici deferant, & ad ipsum informãdum, & in facto concordandũ, sicut in omnibus curiis obser-

uetur, ſimul coram eo conueniant pro faciliori cauſę expeditione, rixarum, & iurgiorum, remoto ſuperſtitioſo timore, a quibus eos omnino abſtinere mandatur, alias mulctandos & puniendos.

Possit Iudex, pro vt hactenus obſeruatum eſt, intra terminum à conſtitutionibus aſſignatum, ſententiam pro vt in cedula pronunciare, parte prius ſemel legitime citata, quam cedulam, facto, & realiter Notario actuario tradere teneatur ſaltem intra quindecim dies à die dictæ prolationis ſententiæ aperiendam; quo tempore elapſo, a non publicatione, vel aperitione ſententiæ altera pars poſsit appellare, tanquam à denegata iuſtitia: & iudex dictã appellationem teneatur admittere; ſi verò pars nõ appellauerit, nihilominus non poſsit Iudex aliam ſententiam niſi ab obſeruatione iudicii, vel inſtantiæ, cum condemnatione expenſarum actoris, vel appellãtis, pro vt iuris fuerit, publicare, vel aperire.

Possit tamen ex cauſa, & de conſenſu vtriuſq; partis tempus prædictum quindecim dierum, ad alios quindecim dies prorogare, ſublato penitus abuſu ipſum vlterius, etiam de conſenſu partium prorogandi; quæ quidem prorogatio, & conſenſus, per Notarium in actis adnotentur.

Qvod tamen locum habeat in omnibus ſententiis in futurum pronunciandis, & proferendis; nam in pronunciatis in præſenti, & de conſenſu partium non dum publicatis, ex aliqua rationabili cauſa, conſtituitur, & aſſignatur terminus duorum menſium ad eas aperiendas, & publicandas, quibus præteritis, ſi non ſint publicatæ, etiam ſub prędicta cenſura comprehendantur.

Digitized by Google

Si sentẽtia ad instantiã alterius partis alteri nõ fuerit notificata intra dictum terminum ad aperiendam cedulam constitutũ, tempus ad appellationẽ ab ea interponendam partibus ipso iure currere incipiat ab vltimo die, & hora, dictorum quindecim, vel triginta dierum respectiue ad cedulam aperiendam assignatorum.

Fatalia in causis appellationum non possint prorogari, nisi de consensu vtriusque partis, aut ex iuxta, & necessaria causa in decreto prorogationis exprimenda, alias prorogatio non valeat, non obstante quocumque arbitrio iudici concesso.

In causis breuioribus quæ summam librarum ducentarum non excedunt, obseruentur decreta Constitutionũ De iudiciis, & terminis in eis assignatis elapsis, iudex teneatur sententiam ferre citata semel parte ad sententiam audiendam, & si pronunciauerit pro vt in cedula, eo ipso, vel saltem intra septem dies teneatur dictam cedulam aperire, & Notario consignare, alias vt supra in causis maioribus decretum est, pars à denegata iustitia possit appellare, eaq; non appellante, sententiam dumtaxat ab obseruatione iudicii, vel instantiæ absolutoriam ferat.

In causis verò iurium habentium exequutionem paratam iuxta prædictas constitutiones non solum procedatur per viam monitorij, sed etiam possit iudicium inchoari per viam grauamenti, seu sequestrationis realis tantum, & non personalis, ac etiam concessionis tenutæ, & possint fieri pręcepta de disgumbrando in illis tamen dumtaxat casibus, quibus vigore statutorum Cõmunis Florentię in foro seculari à prędictis potest incipi, & in eis seruetur

modus,

Digitized by Google

modus, & forma, quæ traditur à ſtatuto dicti Communis Rub. 58. lib. 2. quod in omni ſua parte hic habeatur pro inſerto, & recepto, præterquam quoad terminos ſeruandos in iudicio petitorio, quorum loco ſuccedant termini constitutionum in cauſis ordinariis: & immiſſus in tenutam lucretur quinque pro centenario, pro vt in dicto ſtatuto, & ſecundum diſtinctionem dictarum Cõſtitutionum tit. de vſur. cap. 12. Et quando in prędictis incipietur ab exequutione, ſemper cenſeatur appoſita clauſula; Si pars ſenſerit ſe grauatam, compareat in iudicio, iuſtitiæ complementum conſequutura, firmis tamen ſtantibus exequutionibus iam factis, donec cauſa cognita reuocentur, & pars petens grauamentum fieri, teneatur dare cedulam Notario continentem nomen actoris, & cauſam, qua prętendit grauamentum fieri; cuius copia detur parti, quando grauatur, & in prolatione ſententiæ ſeruetur modus, qui ſupra traditus eſt in cauſis exequutiuis; in quibus etiam incipiat currere tempus ad appellandum ab vltima die, & hora dictorum ſeptem dierum ad aperiendam cedulam aſſignatorũ, niſi prius parti, ad alterius partis inſtantiam fuerit ſententia intimata.

IN omnibus cauſis etiam in prima inſtantia, & tàm ordinariis, quàm exequutiuis fiant condemnationes expenſarum, à quibus Iudex nullo modo poſsit victum abſoluere, niſi ex cauſa valdè iuſta, quam in ſententia teneantur exprimere.

COMPAREANT Procuratores coram iudicibus perſonaliter, & non per ſubſtitutos, quorum comparitiones non admittantur, ſub pœna lib. L. tam pro

cura-

curatoribus mittentibus, quàm actuariis recipientibus ipso iure incurrenda.

IVRENT tam procuratores, quàm actuarii constitutionum Synodi Prouincialis, & huius diœcesani quatenus ad iudicia pertinet, obseruantiam in manibus Illustrissimi D. Archiepisc. & si postmodum contrauenerint, pœna periurii sint obnoxii.

DE EXAMINATORIBVS.

Examinatores in singulis Synodis proponi debent, vt ab ea probentur, qui de vita, doctrina, moribusque ad Parrochiales Ecclesias promouendorum diligenter, humana affectione postposita, perquirant, pro diœcesis igitur amplitudine nominati & approbati fuerunt infrascripti.

Admodum R. D. Franciscus Boncianus Archidiaconus Florent.

Admodum R. D. Comes Cosmus de Comitibus Gherardescha Archipresb.

Admodum R. D. Donatus Malegonnella Decanus.

R. D. Leonardus de Paulis Pœnitent.	Canonici Florent.
R. D. Camillus Pandolphinus.	
R. D. Petrus Niccolinus.	
R. D. Franciscus Venturius.	
R. D. Horatius Quaratesius.	
R. D. Franc. Norus Sacræ Theologiæ Lector.	

R.D.

R. D. Ventura de Venturis Prior S. Laurentij.

R. P. M. Nicolaus Sermartellius Ord. Prædicatorum.

R. P. M. Ignatius de Nente Ord. Prædicat. Sacræ Theologiæ Lector.

R. P. M. D. Marsilius Vasquez Abbas Ordinis Cistercien.

R. P. M. Dionisius Florentinus Seruita, aut pro tempore R. M. Regens Ordinis Seruorum Diuæ Annunciatæ de Florentia.

R. P. M. Franciscus Lucianus de Plumbino Ordinis Min. Conuent.

R. P. M. Franciscus Tibaldus Florent. Ord. Min. Conuent.

R. P. M. Leonardus de Coqueam Ordinis Herem. S. Augustini.

R. P. F. Octauianus de Spatariis de Ancisa Ordinis Sancti Francisci de Obser.

R. P. Emanuel Ximenes Societatis IESV.

NOMINA

Digitized by Google

NOMINA IUDICUM DELEGATORUM.

Iuxta Sacrosancti Concilii Decretũ disponentis eligi, & approbari in Synodis viros in Ecclesiastica dignitate Constitutos, vel Cathedraliũ Ecclesiarũ Canonicos quibus a Sede Apostolica eiusque legatis causæ committantur, destinati fuerunt, ad hoc munus in diœcesi Florentina, ac Fesulana obeundum infrascripti videlicet.

ADmodum Illustr ac Reuerendiss. D. Episc. Fes. & eius D. Vicarius pro tempore existentes.

Ad. R D. Franciscus Boncianus Archidiac. Florent.

Admodum R. D Comes Cosmus de Comitibus Gherardescha Archipr.

Ad. R. D. Donatus Malegonnella Decanus.

Ad. R. D. Raphael Medices Præpositus.

R. D. Iacobus Cantuccius.
R. D. Camillus Pandulphinus.
R. D. Michael Datus.
R. D. Petrus Nicolinus.
R. D. Franciscus Venturius.
R. D. Antonius Bartolinus.
R. D. Andreas Touaglia.
R. D. Horatius Quaratesius.
R. D. Laurentius Capponius.
R. D. Ioannes Batista Vbaldinius.
R. D. Cosmus Mannuccius.
R. D. Cosmus Bardius.

} Canonici Florent.

Digitized by Google

R. D. Petrus Paulus Bonsius.
R. D. Paulus de Paulis.
R. D. Alexander Strozza.
R. D. Vincentius à Rabatta.
} Canonici Florent.

R. D. Ventura de Venturis Prior Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Laurentij.

R. D. Gabriel Baccionus Præpositus Fæsulanus.

R. D. Thomas Rimbottus Proth. Apost.

R. D. Antonius Ciochettus Canonicus Sancti Laurentij, & Prothonot. Apost.

DE XENODOCHIARIIS ET REVISORIBVS PIORVM LOCORVM.

Administratores locorum piorum, ex præscripto sacrorum Canonum; & Tridentini Concilii ordinario suæ administrationis rationem reddere tenentur; deputantur igitur, vt ordinarii nomine Synodo approbante recipiant.

R. D Iacobus Cantuccius Canonic Florent.

R. Dominus Petrus Fanfanus Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Laurentij.

NOMINA

NOMINA TESTIVM SYNODALIVM.

Vt ea quæ animaduersione digna sunt, non lateant, neuè in curia irrepant abusus, & corruptelæ, considerent testes sinodales infrascripti, an in Vrbe, & diœcesi sit, quòd corrigi debeat, referantq; Illustrissimo Archiepiscopo, vel in futura Synodo emendanda proponant.

Reuerendus Dominus Leonardus Gondius Can. Flor.
R. D. Cosmus de Bartolis Præpositus Imporensis.
R. D. Georgius Ciarius Rector S. Simonis de Florent.
R. D. Iulius Bondelmontis Pleb. Plebis S. Mariæ Impruneta.
R. Dominus Cosmus Minorbetius Plebanus Sanctæ Mariæ de Fagna.
R. D. Tholomeus Nozzolinus Plebanus S. Agatæ de Mugello.
R. D. Ioannes Simon Tornabonus Plebanus Sancti Stephani in Pane.
R. D. Franciscus de Vlmis Plebanus S. Martini de Sexto.
R. D. Antonius Berrettarius Plebanus S. Ippoliti Castri Florentini.
R. D. Thaddeus de Nasis Plebanus Sancti Domnini de Villamagna.
R. D. Laurentius de Teris Plebanus S. Mariæ de Decomano.
R. D. Ioannes de Casinis Plebanus S. Ioannis de Misileo.
R. D. Ioannes della Nera Plebanus S. Reparatæ à Pimonte.
R. D. Augustinus de Bargellinis Rector Ecclesiæ Sancti Petri de Santerno.
R. D. Liuius Giannellius Plebanus Plebis Sancti Stephani in Botena.

RVBRICAE

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM.

FINIS.

Digitized by Google